

Π υ
633



5,6
[Handwritten notes and drawings on the edge of the page]



no. 37.

J. D!

II u
633

DISSERTATIONEM
DE
USU HISTORIAE
NATURALIS EXOTI-
CO- GEOGRAPHICÆ
IN MEDICINA,

Consensu

*Inclytissimæ Facultatis Philosophicæ
Lipsiensis,*

Ad d. X. Februarii A. R. S. M. DCC.

Publicæ Eruditorum Censuræ

subjicit,

CHRISTIANUS HENRICUS

Erudl / Dresdensis,

Philosophiæ Magist.

RESPONDENTE

DANIELE Rießling / Budisâ-Luf.



LIPSIÆ,

Typis CHRISTIANI SCHOLVINII.



VIRIS

PERQVAM ILLUSTRIS AC GENEROSO,
NEC NON
MAGNIFICIS, SUMME REVEREN-
DIS, CONSULTISSIMIS, AMPLISSIMIS
ATQVE EXCELLENTISSIMIS,
IN SUPREMO ECCLESIASTICO,
DRESDÆ QUI FLORET,

SENATU,

PRÆSIDI

EMINENTISSIMO,

NEC NON RELIQVIS

ASSESSORIBUS

GRAVISSIMIS,

DNN. PATRONIS STUDIORUMQVE

SUORUM PROMOTORIBUS ÆTATEM COLENDIS,

Hos primos Studiorum suorum Academicorum fœtus

In signum devotæ mentis

submisit offert

Christianus Henricus Grndl.



PRÆLOQVIUM.



S I examinemus accuratius incrementum, quod omnes Artes atque scientiæ ex detectione Novi Orbis & incognitarum antea Asiæ & Africæ provinciarum sumpserunt, constabit luculenter, non exiguum etiam esse illud, quod Medicina ex Historia earundem Naturali sibi vendicat. Non incongruum itaque esse judicavi, loco Speciminis Academici, proponere in presenti Dissertatione Usus Historiæ Naturalis Exotico-Geographicæ in Medicina: ita quidem, ut secundum Geographiæ ductum, tribus absolvam totam tractationem capitibus, quorum primum Asiæ, secundum Africam, tertium denique comprehendet Americam. In singulis his capitibus explicabo, quid conferat Historia Naturalis ad quatuor potissimarum Medicinæ partium Physiologiæ, Pathologiæ, Materiæ Medicæ & Praxeos incrementum. Nemo autem mihi vertet vitio, quod principaliora saltem ex eadem Historia Naturali & notabiliora selegerim. Neque enim instituti ratio permittebat integrum conscribere tractatum, quod factum fuisset procul dubio, si specialissima quævis sectari animus fuisset. Benigniore itaque à L. B. expectans censuram, aggredior jam tractationem ipsam.

CAP. I.
DE ASIA.

§. I.

Utilitatem consideraturi ex Asiæ cognitione in Medicinam redundantem, absque ambagibus convertimus nos ad specialia certis regionibus propria. Primum quidem in Physiologicis. Apparebit enim ex sequentibus, non parum lucis affundi doctrinæ Physiologicæ, si ingenium & functiones naturales certarum nationum & incolarum diversas perscrutemur.

§. II. Initium faciant in hac Orbis parte Asia Turcæ & Persæ, qui prout inter omnes Asiæ populos sunt fere valentissimi: ita de ipsis insuper ex autoribus constat, esse eosdem supra modum libidinosos ac Veneri deditos. Non incongrue autem extinguere vel mitigare stimulos hos tentant potu ipsis consueto ac frequentissimo Caffée, cujus abusu nimio enervare se solent quidam ex illis usque adeo, ut plane inde impotentes & frigidi evadant, prout hac de re peculiarem historiam allegat *Olearius* in *Itiner. Pers.* (a) Sed feliciori fortassis successu nimiam libidinem ac intempestivam promptitudinem in generationis negotio temperare atque sufflaminare norunt Persæ, qui pro hoc scopo assumunt semen cannabis tostum & sale conspersum, atque singulare ab ejusdem frequentiori esu observant ad hunc actum beneficium, quò de videri potest pluribus modò allegatusj *Olearius l. c.*

§. III. Indiæ Orientalis proprie sic dictæ incolæ quod attinet, valentiores & melioris constitutionis ex iisdem sunt: Malabarici, Javani & incolæ Regni Siam. Nihilominus tamen & hi ipsi quoad corporis formam externam insigniter differunt inter se invicem. Et de incolis littoris Malabarici quidem singularia annotavit Isaac. Vossius in *Pomp. Melam*, scilicet, eosdem aures in maximam amplitudinem diducere, & deesse ornatui aliquid existimare, nisi utrinque humeros non contingant modo, sed & latè fla-

(a) *L. 5. cap. 17.*

tè flagellent. Nec prætereundum de Malabaris jam nominatis esse censeo, maximè consuetum ipsis esse Opii usum, quo utuntur cum primis hoc nomine, ut exinde præstantiores & potentiores evadant in amplexu Venero. *Seminis enim flumen diutius suspendit, Indiæ mulierum expetita delectatione, quibus eodem momento naturarum concursus gratissimus est*, prout ejusdem usum explicat *Lindschott*. (b.) Sexum sequiorem in his Indiæ provinciis si examinemus, singularia & ille habet, quæ annotari merentur. In regionibus enim Coromandel, Golcondâ & Decan tanta in foeminis foecunditas, ut in septimò jam ætatis anno pubertatem habeant, octavo autem & nono nonnunquam pariant perfectos infantes, si modo fides tribuenda Itinerariis Ind. Or. *Saar & Anderssen*. De Insularis autem Indiæ hoc saltem adjiciemus; Ceylanensium plurimos ad extremam senectutem bene valentes pervenire. Quam longævitatem adjuvari insigniter ab odore suavissimo & saluberrimo Cinamomi statuunt nonnulli autorum. Sed hæc saltem de indigenis accipienda. Batavi enim & alii Europæorum hoc beneficium ab insula illa impetrare haud possunt, quippe qui Javam suam, quoad salubritatem, ipsi longe præferunt.

§. IV. Jam Chinæ curiosa in Physiologicis scrutemur. Quod igitur ingenium Chinesium spectat, constat ex omnibus autoribus, qui Historiam Sinicam ex professo tractarunt, eosdem reliquas omnes Asiæ gentes ingenii felicitate superare. Inde etiam ambitiosa & arrogans hæc natio jactare se in proverbio quodam haud veretur: sibi esse duos oculos, Europæis superesse unum, omnes autem reliquas Orbis Terrarum gentes oculis penitus carere. In loquela etiam sua plane singulare quid habent. Pronunciare enim literam R nequaquam valent, inde fit, quod in lingua ipsorum nullum R inveniatur. Voces autem habent vix alias, quam monosyllabas Diphthongis & triphthongis maxime variatas. (c.) Est præterea Chinesis natio, si de conservatione speciei afferenda quædam sunt, omnium fere foecundissima. Foeminæ enim in plerisque hujus regni provinciis tres vel quatuor foetus uno partu

(b.) L. 1. c. 78.

(c.) Vid. *Neuhoffs*, Allgemeine Besch. Chinæ.

partu frequentissime excludunt, prout testatur *Martinius (d.)* Nemo ergo miretur, si idem *Martinius* affirmet, tantam esse in China hominum copiam, quanta in nulla alia Europæ parte populosissima licet, ita, ut suo tempore eorundem numerus ad ducentas milliones sese extenderit. Quoad corporis habitum & conformationem, *Chinenses* subtilitati pedum mirum quantum student, longe etiam infra proportionem harum partium ad corpus reliquum. Oculis autem minoribus & quasi conniventibus a reliquis nationibus fere omnibus discerni possunt facillime.

§. V. *Japponenses* demum quod attinet, iidem *Chinensibus* ingenii felicitate haud inferiores sunt. Et admiratu digna de ingeniosissimis eorundem *Comœdiis*, quales in Europa non videntur, recenset *Caron*. In olfactu plane singularis est hæc gens, & eo ipso ab omnibus aliis nationibus, præsertim vero Europæis differt. *Ipsis* enim, quæ nobis bene olent, foetere, quæ autem nobis foetent, bene olere, testatur multis exemplis *Schröckius (e.)*

§. VI. Et hæc de Physiologicis ex Asia dicta sufficiant. Jam ad Pathologiam nobis properandum erit, & morbi cum causis commemorandi, qui his vel illis Asiæ gentibus sunt proprii. Initium faciat Arabia, cujus incolas jam ab *Avicennæ* tempore usque ad hanc nostram ætatem multum vexavit *Vena Medinensis*, nomen sortita a Medina, urbe Mahometis sepulchro maxime celebri, atque valde frequentata a Turcis & Persis. Circa hanc enim urbem primum innotuit. Veniunt autem hoc nomine vermes pilares in partibus corporis carnosus nati, rectius *Dracunculi* appellati, quorum seminium vel cum aquæ potu deglutiri, vel etiam insensibiliter per cutis poros admitti vero simillimum est. Plura qui de hoc morbo audire avert, adeat *Hier. Velschii tract. de Vena Medinensi*. Vicini Arabiæ Armeni non parum etiam sunt infelices vel hoc nomine, quod oculorum hebetudo & ipsa cœcitas iisdem sit familiarissima, nominatim autem illis, qui circa capitalem hujus regionis *Erzerum* habitant. Causam tribuunt communiter nivium splendori a sole nimium exaltato. Nivis

(d.) in *Atlante Sinico*, &c.

(e.) in *Historia Moschi*, p. 17.

vis enim ingens quantitas in his locis montes circumjacentes perpetuo contegit. Vid. *Tavernier*, (f.)

§. VII. Persia quæ sequitur, licet habeat incolas satis robustos respectu aliarum Asiæ provinciarum, nihilominus tamen & in quibusdam locis certis morbis admodum est obnoxia. Et in superiori quidem Persiæ parte, quæ mari Caspio est vicinior, præsertim autem in urbe Gilan hydrops & tympanites morbi sunt communissimi atque verè Endemii. Sed hoc mirum adeo esse non potest, si consideremus, ex itinerariorum relatione tractum istum aquis dulcibus fere penitus carere, miserosque incolas eo ipso cogi assumere pro potu ordinario aquas, quæ ibidem in cisternis colliguntur, & a terra ipsa, quæ tota falsa ibi deprehenditur, falsedine etiam inficiuntur, prout annotavit in *Itin. Pers.* *Tavernier* (g.) Magis autem adhuc notabilis est, morbos quod spectat, urbs Caschan in Persiæ mediterraneis sita, quæ propter luem Veneream mirum quantum inibi grassantem adeo est famosa, ut & Persis hic morbus appelletur Schemet Kaschi, i. e. morbus de Caschan, ad eundem fere modum, ut nobis consuetum est, eandem appellare Gallicam luem. Præterea autem eadem urbs & circumjacens ager venenatis insectis scatet, adeo, ut incolæ a scorpionum ictu & tarantularum morsu vix satis se defendere queant, quæ bestiolæ hac in urbe omnium sunt venenatissimæ. De utroque malo fidem certiore facit *Olearius* (h.) Meridionalis autem regni hujus plaga, quæ sinui Persico est propinquior, adeo malignas & putredinosas habet aquas seminio verminoso refertas, ut incolæ, nominatim urbium Lar & Gamron provinciæ Kerman dracunculis illis vel veribus pilaribus æque ac Medinenses Arabiæ valde torqueantur. Quamvis non sit negandum aerem etiam, qui his in locis est supra modum insalubris, Symbolam suam ad producendum hunc affectum conferre. Parem infelicitatem ex pari causa ortam experiuntur

(f.) P. 1. L. 1. c. 2.

(g.) P. 1. L. 1. c. 6. & *Olearius*, L. 5. c. 7.

(h.) L. 4. c. 35.

untur vicini Insulari in Ormo, quæ ad fretum Basora sita est, & ob margaritarum piscaturam satis celebris. (i.)

§. IIX. Progredimur nunc ulterius ad Magni Mogolis Imperium & Indiam Orientalem propriè sic dictam. Et in Mogolici Imperii mediterraneis locis quidem de singularibus morbis parum vel nihil allegatum reperimus apud autores. In proximè adjacenti R. Boutan autem, montosâ & asperâ regione juxta provinciam Naugrocot, ad fines Tartariæ magnæ, incolæ, præsertim autem sexus sequioris, admodum deformantur strumis ac scrophulis. Non improbabile autem est, aquas in ejusmodi locis montosis tartareas esse ac quasi lapidescentes, quales observamus in Carinthia & Stiria nostra. Tales autem non possunt non obstructionibus glandularum scirrhis occasionem suppeditare sufficientissimam. (k) Morbos Indiæ quod attinet plures in eadem occurrunt, quæ annotari merentur. Et curiosissimus quidem est ille affectus, qui in tractu quodam regni Malabar observatur. Ejusdem enim incolæ D. Thomæ Christiani appellati in sinistro pede tumores monstruosos gestant. Sed, cum hæreditarium hoc malum sit & vitium malæ conformationis, certiora de causis ejusdem afferre vetamur. Curiosa autem sunt, quæ de his ipsis D. Thomæ Christianis annotata invenimus in *Ephem. N. C. Dec. II. Ann. 3. observ. 13.* Similes Thomani crassipedes inveniuntur etiam in proximè adjacente Coromandel. (l.) E regione dictarum regionum Malabar & Coromandel sita est famosa illa Chersonesus aurea, hodie Malacca appellata, cujus solum & aëris temperies adeo sunt insalubria, ut morbis omnis generis, præsertim autem peste infestetur plurimum. Inde etiam Batavi proverbialiter dicunt de homine, qui valetudini suæ & robori nimium fedit: Malaccam nondum frequentavit. Incolæ hujus peninsulæ appellantur per jocum à Batavis Kackerlae, i. e. Kaffer/ quia iidem interdum & præsertim sole radiante nihil prorsus vident, noctuarum vel scarabæorum ad instar; qualis affectus non incongruè posset appellari Nyctalopia positiva vel Amblyopia

(i.) Mandelsloh, *Itin. Or.* L. 1. c. 8.

(k.) Tavernier, *P.* II. L. 3. c. 15.

(l.) Lindschott, *L.* 2. c. 15.

pia diurna, in quo affectu pupilla nimium est dilatata, ita ut lux copiosius irruens idearum receptionem impediat & confusam reddat, prout hunc affectum nobis explicatum dedit Celeberrimus Rivinus, Præceptor meus æternum Devenerandus, in discursu suo Pathologico privatim nobis exposito. Causam occasionalem externam autem affectus hujus in Malaccensibus suppeditat sine dubio nimius radiorum solarium splendor, qui hoc in tractu fere est intolerabilis, quia ob proximè adjacentem Æquatorem sol ipsis est fere quotidie verticalis.

§. IX. Jam examinemus, numquid & in Insulis ad Indiam Orientalem pertinentibus ex morbis peculiaribus occurrat, quod annotationem mereatur. Non frustra in hoc erimus solliciti, si statim adeamus insulam Ceylan, in qua peculiaris plane observatur morbus ab incolis Beriberii vocatus, Paralyseos species, qua manus ac pedes, interdum & totum corpus motu ac sensu privantur ad maximam partem. Invadit autem morbus hic præsertim illos, qui noctu non bene contegunt corpora stragulis, sed liberi aëri, qui ibidem nocturno tempore est frigidior, eadem exponunt, præsertim si vino palmitis interdum sese ingurgitarunt liberalius. (m) Non procul hinc distans Sumatra, propter Pestis contagium omni fere tempore inibi sæviens, Batavis in Java degentibus admodum est invisa & suspecta, a quibus etiam eandem ob causam, loco *West-Küste* appellatur die *Pest-Küste*.

§. X. Sed sciendum, usum Historiæ Naturalis Exotico-Geographicæ egregium & plane singularem etiam esse in Materia Medica. Multum enim interest scire locum natalem simplicium, siquidem ex hac cognitione remediorum Geographica adjutur interdum Medicus in dignoscendis probè genuinis à supposititiis, imo in cognoscendis virtutibus ipsis. Notissimum autem est, Asiæ provincias, cum primis Indiam Orientalem multum locupletasse Materiæ Medicæ apparatus, quapropter non erit incongruum videre, quid hæc vel illa Asiæ regio ex Materia Medica Europæis mittat. In Natolia quidem vel Asia Minori vix notabile quid occurrit, nisi velit curiosior quidam annotare, quod in

B

fol.

(m.) *Bontius de Med. Ind. L. 2. c. 1.*

folâ & quidem circa urbem Tocat Crocus nascatur; qui per totam Asiam nullibi alias reperitur, testante *Tavernier*. (n.) Sed hæc in transitu: jam ad Arabiam nos convertimus, ex qua priscis temporibus Europæi, præsertim autem Græci accersebant generosiora sua remedia, ut Myrrham, Balsamum optimum, & Calamum aromaticum. Sed postquam Batavi sufficientem Calamiaromatici copiam in Guzaratta & Goa invenerunt, Myrrha autem jam ex Africa Abyssinia appòrtetur, & præstantiora balsama, ut Peruvianum & Toletanum America suppeditet, Thus vel Olibanum fere unicum est remedium, quod nobis ex Arabia felici ad hunc usque diem copiose mittitur. Est enim Thuris in Arabia tanta copia, ut & naves inungant eodem liquefacto, loco picis, incolæ oræ Arabiæ maritimæ, test. *Lindschott*. (o) Si ignobiliora ex materia medica inferere licitum est, mentio etiam hic erit facienda fructus Bon, cujus arbor, ex qua colligitur, natale solum agnoscit Arabiam, ex qua copiosissime in Turciam & Ægyptum ipsam transfertur, prout testatur *Pr. Alpinus* de Pl. Ægypti. Ex hoc fructu Ægyptii primum & Arabes parare solebant decoctum, quod Coava vocabant. Postea autem eodem decocto frequentissime usi sunt Turcæ & Persæ, à quibus & ad nos usus ejusdem derivatus est, & appellatus hic potus Caffée. (p.) Infra Arabiam non procul a freto Babelmandel sita est insula Socotara, quæ ab Aloë optima, cujus ibidem insignis est proventus, Europæis Medicis jam satis innotuit, ita, ut & Aloë electa appelletur ab eadem insula Socotrina.

§ XI. Persia jam sequitur, quæ in Materia Medica vix alio nomine nota est, quàm, quod insulæ ejusdem Ormus & Baharim ditissimam Margaritarum piscaturam habeant. Margaritæ autem, quæ circa has reperiuntur insulas, superant magnitudine Orientales omnes. Nec prætereunda est alias satis nota Afa foetida, quæ itidem ex Persia ad nos defertur. Planta enim, e cujus radice Afa foeti-

(n.) *P. 1. L. 1. c. 2.*

(o.) *L. 1. c. 72.*

(p.) *Pr. Alpinus de Plant. Ægypti, p. 65.*

foetida per torcular exprimitur, magna copia crescit inter Persiæ meridionalis civitates Lar & Gamron.

§. XII. Ex Persia in Mogolis Imperium deducimur. In cuius provincia meridionali Guzaratta uberrimus est proventus plantæ, cuius radices Turpethi nomine veniunt. (q.) Ex eadem Guzaratta Calamus aromaticus verus hodierno tempore nobis mittitur, in quâ regione feritur ordinarie & copiose provenit. Ut & folium Malabatri, quod ex Cambaia i. e. Guzaratta longe lateque distrahitur, & Venetias usque transfertur. (r.) Vicinæ Guzarattæ regiones sunt Chitor & Mandor in Materia Medica hoc nomine celebres, quod ex iisdem ad nos transmittatur Costus odoratus verus, (s.) & ob odoris gratiam se maxime commendans spica Nardi, radice comosa inibi copiose nascens. (t.) Sed hic & Opii mentio facienda, quod optimum olim erat Thebaicum, nobis hodie autem transmittitur ex Cambaia & Decan. Neque enim circa Cairum Ægypti & Aden Arabiæ adeo copiose provenit, ut ex iisdem regionibus in Europam satis copiose transferri queat, sed ab ipsis incolis & adjacentibus Turcis & Persis avidè expetitur. (u.) Uberrimus autem est ejusdem proventus in dictis regionibus Cambaia & Decan, ubi exstillat, quod optimum est, ex sauciatis papaveris capitibus, coloris ex ruffo nigrescentis, instar gummi cujusdam, id autem quod ope torcularis exprimitur e capitibus, ignobilius est, & Meconium a Græcis appellatur.

§. XIII. Jam videamus, quid habeant ex Materia Medica regiones Indiæ Orientalis proprie sic dictæ. Et in Golconda quidem, ad fines Imperii Mogolici sita regione, magna est copia caprarum, quæ lapidem Bezoar gestant; ex quâ regione quidem est maxima pars lapidum Bezoar Orientalium, quæ in nostris reperiuntur Officinis. Quamvis enim veri & optimi Orientales olim putarentur illi, qui ex Persiæ provincia Carassone afferebantur,

B 2

(q.) *Hermannus Hort. Lugd. p. 181.*

(r.) *Lindsch. L. 1. c. 83.*

(s.) *Idem L. 1. c. 83.*

(t.) *Id. L. c.*

(u.) *Lindschött. L. 1. c. 78.*

tantur, sciendum tamen, eosdem hodierno tempore oppido esse raros, siquidem Reges Persarum in summo ipsos habent pretio, & vix permittunt eorundem exportationem, sed eandem capitali poena interdiciunt. (x.) Ignobilis est remedium, quod transmittunt nobis proxime adjacentes provinciæ, Cananor & Calecut, Anacardia puta, quæ arboris nuciferæ Malabaricæ Bibo sunt fructus compressi, cordis figura, nigricantes & Splendentes. Sequitur in eodem tractu sita famosissima illa provincia Malabar, quæ, cum solum habeat Vegetabilium omnis generis fertilissimum, occasionem dedit Celeberrimo Batavorum in India Governatori van Rheden appellandi Herbarium suum, in quo omnes hæctenus notæ Indiæ Orientalis plantæ describuntur, Hortum Malabaricum, cujus editionis in Hollandia curam in se suscepit, eandemque XII. Tomis absolvit Dn. *Commelinus*. Simplicia autem potiora, quæ ex hac provincia nobis transmittuntur, potissimum consistunt in sequentibus: Pipere primo utilissimo & maxime consueto nobis aromate, quod his in locis juxta arborem Areccæ communiter plantatur, & satis copiose provenit, siquidem hoc fructu in Malabar plures quotannis onerantur naves, quæ Lusitaniam atque Hollandiam petunt, inde autem per totam Europam dispergitur. Mittit eadem Malabar optimum Zingiber, quod ibidem ordinarie seritur ac plantatur, siquidem illud, quod sua sponte crescit, non adeo præstans est. Inde etiam in Europam copiose transferuntur a Batavis Noces Indicæ seu Coccus, quæ fructus sunt arboris Palmæ Cocciferæ, intus gratum palato succum continentes. Sed longe præstantiores & pretiosiores sunt illæ Noces Indicæ cum his non confundendæ, quæ circa insulas Maldivias ex mari colliguntur, quarum plus quam decem in tota Europa non inveniri testantur scriptorum nonnulli; In tanto enim habent ipsas Indiæ Reges pretio, ut auro æstiment cariores, siquidem pro antidoto universali, imo pro Panacea fere ab ipsis venditur. (y.) Sed progrediamur hinc

(x.) *Bontius Hist. Nat. & Med. L. 5.*

(y.) *Fr. Redi Exper. Nat. p. 36.*

hinc ad alteram Indiae partem, quae India extra Gangem appellatur; In qua primum occurrit Bengala maritima provincia cum Mogolis Imperio confinis, in qua magna multitudine reperiuntur Rhinocerotes, quorum cornu ab Indis adversus venena probatum, hinc etiam ad nos transmittitur. Bengalae propinquius est R. Pegu, quod animalcula alit vulpeculis atque catellis non absimilia, ex quorum testiculis praestantissimus colligitur moschus, indeque ad nos potissimum defertur. (z.) Neque Zibethum contemnendum est, quod in hoc regno colligitur, quamvis Africano non par, inter Orientale tamen optimum. Praterea autem Succici inspissati Catechu in hoc regno tanta paratur ex Acacia Orientali copia, ut hinc ad Chineses & Japponenses, qui eundem maxime in deliciis habent, copiose transferatur. In Japponia enim ne minimum quidem ejusdem provenit, indeque evidens est, quam inconvenienter a nonnullis idem succus appelletur terra Japponica. (a.) Adjacens huic Regno provincia Tunquin vel hoc nomine maxime est celebris, quod pretiosissimum & fragrantissimum praebet L. Aloës, tanti quidem pretii, ut 100. centum thaleris redimatur, & ut donum pretiosissimum a Regibus Indiae Magnatibus atque Legatis offeratur. (b.) Ignobilior L. Aloës species, quae copiose in Europam transfertur, reperitur in proxima Cochinchina. Sub Cochinchina autem in maritimis sita est Cambodia, quae famosissimo illi ac fortissimo purganti aliàs Gummi Gott appellato, nomen dedit, ut hinc sub nomine Guttæ Cambodiarum veniat. Est autem nihil aliud, quam succus inspissatus Esulae Indicae, de cujus colligendi modo & virtutibus pluribus videri potest Jac. Bontius. (c.) Praterea fert haec regio arborem, quae suavissimam odore resinam Benzoën stillat, & arbor haec Iujubæ Indicae est species, licet non adeo copiose, reperitur tamen etiam in Pegu & Martaban. (d.) Non minor est proventus in hac regione resinae Laccae,

(z.) *Lindsch. L. 1. c. 25.*

(a.) *Eph. N. C. Ann. 3. D. 11.*

(b.) *Francisci Ost. und West. Indianischen Lust. S. p. 206.*

(c.) *Hist. Nat. & Med. L. 6.*

(d.) *Francisci l. 6.*

Laccæ, quæ vel ideo est satis celebris, quod eadem a Chinesibus & Japponensibus, jam autem ab Europæis etiam in frequentiori sit usu, ad obducenda & exornanda Vernice ex eadem comparata varia utensilia. Ultima ex continentibus Indiæ est Malacca, a R. Siam usque ad medium Insulæ Sumatræ sese extendens. Ditissima regio aromatis fere omnibus & sacharo. Præcipue autem vel ideo notabilis, quod in eadem inveniatur la Pietra del Porco, lapis porcinus, adversus venena majoris adhuc, quam ipse Bezoar, virtutis, si fides tribuenda autoribus *Bontio & Lindschatto*. Insignis etiam est copia in hac Pen-Insula Ligni Santali Citrini & rubri.

§ XIV. Sequuntur jam Insulæ Indiæ Orientalis, ex quibus prima sit Ceylan, ex qua affertur optimum Cinamonum, cujus tantus est proventus in hac Insula, ut sylvæ etiam minores ex ejusdem arboribus componantur, quæ sole fervidiori urgente, tantam spargunt longe lateque fragrantiam, ut ab advenis navigantibus ad notabilem distantiam percipi queat. Margaritæ, quæ circa hanc insulam reperiuntur, præstantia & nitore superant Ormuticas ipsas. Non ignobilior hac est Insula Java, a Batavis jam fere tota occupata; reperiuntur enim aromata ac pretiosa ferme omnia in hac insula, de quibus aliæ Indiæ partes gloriantur. In specie autem Zedoariam & Galangam optimam eadem suppeditat, quæ aromata huic insulæ sunt propria. Proxime adjacens Bornæo gloriatur de præstantissimæ Camphoræ proventu, quæ Chinesium & Japponensium longe est anteponenda. Sed hæc ad nos ordinariè haud defertur, ob pretii excessum, siquidem ſbj . Camphoræ Borneinæ pluris constat, quam centum libræ Camphoræ Chinesis & Japponicæ, teste *Lindsch. (e.)* Ultimo loco & Moluccæ memorandæ, quæ Europæ præstantissima aromata, Caryophyllos puta & Nucem Moschatam mittunt. Comprehenduntur autem sub Moluccarum nomine: insulæ Amboina, Banda, Ceram &c. quæ sigillatim etiam spectatæ proventu aromatum nominatorum sunt ditissimæ.

§ XV. Sed ad Continentes Asiæ partes revertamur, & Chinam jam visitemus, numquid & eadem peculiare nostræ
sup-

(e.) L. 1.

suppeditet Materiae Medicæ. Stet primo loco Thea, quam ex China primum nobis innotuisse, veramque ac genuinam ex eadem ut & Japonia adhuc afferri, constat ex autoribus, qui exodica tractarunt simplicia, e quibus instar omnium sit *Sim. Pauli in pec. Tractatu de Usu & Abusu Thee*. Reperitur autem copiosissime in duabus Chinæ provinciis Nanquin & Chin, quarum incolæ horum foliorum messibus, perinde ac nostri vindemiis suis occupantur, prout testatur *Alex. de Rhodes* e Soc. Jesu, in Chinæ descript. Eisdem huic regno originem debere Radicem Chinæ, hariolabitur facile quivis, qui nomen ejusdem saltem considerat. Commemorandæ etiam hic sunt insulæ quædam petrosæ inter Cochinchinam & insulam Hainan sitæ, quæ delicatulis Europæorum Magnatibus mittunt celebres illos Nidos Avium, ad Venerem languidam excitandam admodum proficuos. Conflati autem iidem sunt ex viscosa quadam substantia & aromatibus gratioribus. Accuratior descriptionem eorundem qui desiderat, adeat *Athanasii Kircheri Chin. Ill.* Chinæ proxima sed septentrionalior est provincia Corea, quæ aliquot abhinc annis Medicis satis innotuit a proventu celebratissimæ radicis Gensingh vel Nisi. Eadem enim a Chinesibus præcipue tantæ æstimatur virtutis atque efficaciam, ut in agone jam constitutos excitare & restituere, sanis autem continuato ejusdem usu Nestoreos annos conciliare posse putetur. Inde tantum ejus est pretium, ut unica libra tribus argenti libris veneat in Batavia. *Planta descriptionem ex Nebem. Grew Mus. suppeditant Acta Erudit. Lipsiens. Anni 1682. p. 3.*

§. XVI. Restat in hac Asiæ perlustratione, ut ultimo loco de Praxi Asiaticorum simus solliciti, & videamus, num ex eadem nostra Praxis incrementum sumere queat. Examinemus ergo certarum nationum remedia domestica atque evporista, eorundemque applicationem, qua morbos suos interdum satis feliciter profligare solent, ad quorum imitationem & nos in usum trahere possumus similia domestica nobis ubivis obvia. Et Arabes quidem, qui Ophthalmia atque Cœcitate corripuntur frequentius, eandem sibi curant jecore Lamiaë piicis, vel instillando etiam liquorem ejusdem oculis,

oculis, prout testatur *Bontius*. (f.) In Persia atque Mogolis Imperio peculiarem habent modum curandi morsus animalium venenatorum, inurendo partem laesam ferro candente, & postmodum, remota eschara, affusoque oleo scorpionum, denuo applicando cauterium. (g.) Incolae autem tractus Guzaratae ejusdem Imperii conficiunt sibi pro hoc scopo lapidem medicamento sum Cobram vocatum, ex cineribus radicum & certo quodam terrae alexipharmacae genere, qui omne venenum ab animalibus vel a telis venenatis illatum protinus imbibit. (h)

§. XVII. Indiae intra & extra Gangem incolae, & omnes illi, qui aequatori sunt propinquiores, prout febribus ardentibus admodum sunt obnoxii, ita in iisdem aestum temperare & sitim fallere norunt succo limonum assumpto. Inungunt se etiam in tali casu saepius unguento suo Borborii, cujus usum frequentiore experientur maxime proficuum. Motus autem inordinatos intestinorum & Stomachi in Cholera & Dysenteria sedant feliciter & hos affectus curant pulvere L. Colubrini iteratis vicibus assumpto. Quidam in his affectibus inurunt calcaneum pedum alterutrum stylo candente ferreo, & eo ipso dolorem excitando in hac corporis parte vehementiorem, priorem cessare faciunt. Insulani Indiae morbum suum paralyticum Beriberii sibi curant frictionibus fortioribus atque dolorificis, adhibitis simul balneis ex herba nobili, Lagondi appellata, Persicariae quoad folia non dissimili, odore suavi & aromatico praedita. Anasarca, Ascites & Tympanites, qui Insulanis juxta & aliis Indiae populis sunt familiarissimi, facilius apud eosdem, quam apud nos curantur. Et in hac cura excellunt maxime obstetrices Malaycae, quae propinando aegris decoctum, ex radice Curcuma, Herba Succisa & Scabiosa, serum e corpore per urinam felicissime educere norunt. (i.) Mesquitarum puncturas, quae his in locis sunt frequentissimae, & nisi
princi-

(f.) *L. II. c. 16.*

(g.) *Dapper. Asiae P. I. p. 239.*

(h.) *Thevenot. Itin. P. III. L. 1. c. 18.*

(i.) *Bont. H. N. L. 3.*

principiis obstes, periculosissimæ etiam, demulcere ac curare communiter solent, applicato limonum succo recenter expresso.

§. XIIX. Jam videbimus, quid Chineses valeant in Praxi Medica. Et hi multa de se quidem jactant in Semiotica accuratiori, ex observatione pulsus satis superstitiosa. Edidit Specimen Doctrinæ de Pulsibus Chinesium P. Mich. Boymus, quo profundam in hac Praxeos Medicæ parte eorundem scientiam probare conatur; sed qui accuratius eundem tractatum inspexerunt, fatentur omnes, parum solidi in eodem inveniri, sed omnia ridiculis & superstitiosis astrorum influxibus adscribi. De cætero Chineses multum præsidii ponunt ad curandos morbos in applicatione Moxæ ac Punctione Acus aureæ. Cum Moxa procedunt sequenti modo: applicant eandem, quæ nihil aliud est, quam lanugo Chinesis Artemisiæ, (k.) parti læsæ vel dolenti, accendunt eandem & deflagrare sinunt, hoc tertia & quarta vice repetunt, usque dum oriatur inde eschara, quæ exulceratur postmodum, & post extractionem puris sufficientem, ab ipsis iterum consolidatur. Applicationem Acus aureæ autem celebrant in morbis periculosissimis etiam. Acus hæc vel ex auro vel ex argento fabrefacta est, cuspide acutissima, hæc infligitur parti cuidam corporis carnosæ ad lati digiti profunditatem, relinquitur in eadem ad momentorum aliquot spatium, post extrahitur, & morbus hoc ipso interdum satis cito profligatur. In his duobus remediis Chirurgicis omnem fere Chinesium Praxin Medicam consistere, asserit *Wilhelm. ten Rhyne in peculiari tractatu de Medicina Chinesium*. Felicius sibi mederi solent plebeji Chineses in Lue Venerea, quam solo usu Rad. Chinæ, diætâ insuper probe observata, radicitus tollunt; fusius describit hanc curam *Lindschott in Itiner*. Et hæc de usu ex Asiæ Historia Natur. in Medicina sufficient.

C

Cap.

(k.) Vid. *Pluquenet in Almag. Bot. p. 50.*

CAP. II.
DE AFRICA.

§. I.

Progredimur nunc ad secundam Historiæ Naturalis Exoticae partem, Africam; & juxta methodum institutam, inquirimus ante omnia, quid suppeditet eadem, de quo Physiologus scientiam suam locupletare queat.

§. II. Ægyptum primo examinemus, inter mare rubrum & mediterraneum sitam regionem, cujus incolæ corpore & ingenio sunt valentissimi præ reliquis Africæ populis. In specie de viris hujus regionis, præcipue illis, qui circa Cairum habitant, annotari meretur, esse eosdem maxime torosos atque obesos simul, præfertim in pectore, adeo, ut quidam ex illis, imo plurimi, magis sint mammati, quam pleræque foeminarum Europæarum. Sexus sequior autem in hoc tractu, mirum quantum obesitati studet. Assumunt pro hoc scopo delicatulae foeminæ juscula gallinacea frequentius, vel potius gallinas in pultem coctas, quas adhuc magis pro hoc scopo, & non immerito quidem, existimant esse proficuas. In eundem finem balnea frequentant fere quotidie, & corpora inter balneandum fricare sibi ad dolorem usque curant, fragrantissimisque oleis ac balsamis eadem inungunt. Sciunt enim nullas magis a viris expeti foeminas, quam bene obesas atque succiplenas. De cætero viri æque ac foeminæ in Ægypto longævi sunt. Nam ope accuratioris diætæ, vitæque à curis liberæ, ætatem ad nonagesimum usque annum protrahunt communiter. Multum etiam tribuunt autores in hoc passu aquæ Niloticæ, cujus potus ipsis est quotidianus; Vino a. fere penitus abstinent, ut mos est Mahometanorum. (l.)

§. III. Jam ad vicinos Ægyptiorum Barbariæ incolas nos convertimus, quo nomine omnis ille venit tractus, qui Regna Barcam, Tunetanum, Tripolitanum, Algerianum, Fez & Marocco comprehendit. Pigri sunt in genere atque desidiosus populi isti, atque

(l.) *Pr. Alpin. de Medic. Ægypt. L. 1. c. 9.*

atque superstitionibus supra modum dediti. Fœminæ ipsorum hoc peculiare habent, quod multum studeant nigredini comæ atque superciliorum, quæ unguento quodam ex antimonio parato colorare artificiose satis norunt (m.)

§. IV. Sed plane singularem, quoad externum corporis habitum, invenimus hominum speciem, in tractu illo, qui Nigritarum regio appellatur, & a deserto magno Sarra usque ad Caffares & Abyssiniæ maximam partem sese extendit, dimidiam fere Africæ partem, quæ inter duos Tropicos Cancri & Capricorni includitur, occupans. Hæc autem gens coloris est nigerrimi, præsertim autem illa, quæ provincias Zenegam, Zanzaram, Minam & Angolam inhabitat. Nasum habet simiarum instar satis compressum, labia admodum tumentia & dentes omni ebore candidiores. Atque his signis externis, quæ ipsis sunt perpetua, ab omnibus aliis Africæ populis discerni facillime possunt. Quod ad eorundem nigrorem, autores in causa ejusdem multum variant. Quidam enim existimant habere eosdem nigrorem suum ex maledictione Noachica, una cum perpetua servitute, tanquam posteros filii Noachi Cham. Quorum opinio autem conjecturis saltem innititur, & ad maximam partem est falsissima: alii allegant solis maxime in hoc tractu urentis vim, quæ nigrorem istum intensiorem & constantissimum produceret, statuuntque cum Pechlino, consistere illum in corpore quodam muscoso & reticulari inter cutem & cuticulam collocato, quod per cuticulam transluceret, & intensi hujus nigroris causa sit proxima. Et cum his quidem, quoad causam proximam, consentimus, siquidem & ipse vidi ab Excellentiss. D. Pauli, in collegio quodam Anatomico, hanc reticularem & nigram substantiam, sub cuticula positam, accuratissime in corio nigri ejusmodi demonstratam; quoad causam remotam autem, penitus ab hac sententia discedim, & asserere probabiliter haud veremur, ortum habere potissimum hunc nigrorem ab imaginationis maternæ viribus, eodemque modo ad tantam populorum multitudinem fuisse propagatum. De sexu sequiori hujus nationis annotari meretur, esse fœminas, præsertim autem in R. Angola

C 2

ad

(m.) Mr. de St. Olyn Rel. del' Empire de Marocco.

ad partum promptissimas, quem absque singulari difficultate sustinent, & statim post eum ordinarios aggrediuntur labores absque omni damno atque periculo. E contrario steriles admodum sunt foeminae in R. Arder, & miraculum pene est videre inter eas duorum aut trium liberorum matrem. (n.)

§. V. Nigritarum ad ortum vicini sunt Abyssini, qui morum cultu, ingeni viribus atque vitae integritate longe superant feros illos Nigritas. Magis inde sunt modesti erga peregrinos, & societatem ac foedera inire cum iisdem gaudent. (o.) Sed longe distant ab Abyssinis in his & similibus vicini eorundem meridiem versus Caffares, Zangvebar atque Monomotapae incolae, ex his enim nonnulli plane feri sunt, sylva & altissimos montes inhabitantes bestiarum instar, insuper autem & anthropophagi. Quidam ex his, Capiti Bonae Spei propinquiore, appellantur Hottentoti, ab esu crudorum intestinorum ex modo mactatis brutis nomen sortiti, ut opinantur autorum nonnulli. Haec enim avidissime pro cibo expetunt, & una cum contentis omnibus, absque omni praeviapraeparatione, devorant. Inhabitantes plerumque cryptas subterraneas montium & locorum desertorum, defendendo se noctu a bestiarum insultu, ignes accendendo ante earundem introitum. Cursu sunt velocissimi, & cum tygridibus & hircis sylvestribus in eodem certare dicuntur, in quem finem omnibus dexter testiculus in pueritia eximitur, testante *Saar in Itin. Or. (p.)*

§. VI. De Insulanis nihil peculiare occurrit in Physiologicis, nisi, quod maxime celebrentur Canarienses Insulae, sive Fortunatae a longaevitae vix credibili, qua incolae earundem fruuntur. Idem asseritur de incolis insulae S. Mauritii, gaudere nimirum eodem perfecta sanitate nullis morbis infestata, ad grandaeum senium usque. Quae incolarum sanitas atque longaevitae in utrisque insulis adscribitur aeris temperaturae saluberrimae, qualis in toto Orbe fere nullibi occurrat. (q.)

§. VII.

(n.) *Vid. Dapperi Africa, in R. Angola & Arder & c.*

(o.) *Vid. Ludolffi Aethiopia.*

(p.) *De Hottentotis haec & plura vide in Voyage de Siam des Peres Jesuites, L. II. p. 82.*

(q.) *Abrab. Gölnitz Geograph. p. 347.*

§. VII. Secundum Pathologiam si examinemus Africae provincias, nonnulla etiam inveniemus, partim quoad morbi genus, partim quoad causas singularia & Medicis scitu maxime digna Aegyptios quod attinet, illi non minus, quam Arabes, ut in Asia monuimus, oculorum vitiis sunt obnoxii, praesertim autem illi, qui circa Cairum & Alexandriam habitant, ubi a pulvere atque arena, a ventis maxime agitata, vix satis defendere possunt oculos. Ager enim circa has urbes fere totus est arenosus & pulverulentus, adeo quidem, ut in hoc tractu pauci fructus vel plantae proveniant. (r.) Elephantiasi cum primis defoedantur hic pauperes. Pedes enim plerique habent supra modum tumentes & exulceratos, monstrosa hac crassitie elephantum pedibus non dissimiles; contrahunt autem sibi hoc malum ex piscium salitorum Nili, atque casei semiputris ex camelorum lacte parati nimio esu, accedit Colocasiae radicem atque Melochiae abusus, quo viscidos humores & acres copiose colligunt, qui tumorum postmodum oedematosorum ac ulcerum scirrhorum existunt causae. Pestis autem, in Cairo cum primis horrendo impetu grassatur fere quotannis, & quia eandem, ut poenam fatalem, quam nemo evitare possit, negligunt, ingentem eorundem numerum perdit, ita, ut raram non sit, aliquando in ipso Cairo, sex mensium intervallo, quingenta millia mortuorum a Peste numerari. (s.)

§. VIII. Proxime adjacentes Barbariae incolae, praesertim qui provinciam Erriff inhabitant, strumas in collo gestant fere omnes, quas conciliant sibi bibendo impuras atque lutas ejusdem tractus aquas, quae praeterea hirudinibus sunt refertae, ita, ut easdem summa cum cautione assumere cogantur. Vicini Barbarorum ex R. Biledulgerid laborant, ut Aegyptii lippitudine oculorum, & ad maximam partem sunt edentuli: quoad prius, eandem cum Aegyptiis causam habent domesticam, sc. arenae pulverulentae agitationem a ventis perpetuam: Dentes autem perdere dicuntur, ex quotidiano dactylorum esu, quibus haec Africae pars abundat. Seminum enim verminosum facillime concipiunt hi fructus,

C 3

ctus,

(r.) Dapp. Africa p. 76.

(s.) Dapp. l. a. p. 135.

ctus, quod dum per masticationem salivæ commiscetur; facile potest excitare Stomacacem ac dentium vacillationem. Frequens præterea est in Biledulgerid Scorpionum ictus, qui nominatim in provincia Zeb adeo sunt venenati, ut hominem in momento ictu suo perimant. Sed frequentiores inter Nigritas sunt morbi Dysenteria & Tabes, qui quotannis insignem hujus populi multitudinem e medio viventium tollunt. Nam, cum nullum habeant incurandis his morbis remedium, deseruntur ægri a sanis, qui sibi fuga consulunt, & ita plurimi ægrorum, licet malum non sit adeo periculofum, defectu alimentorum atque curæ pereunt. (t.) Putant autem Vinum palmites morbis his occasionem dare ut plurimum, neque male; hoc enim, prout omnis horæorum succus, fermentationi maximè est obnoxium, post fermentationem autem summum acorem contrahit. Acidus igitur ejusmodi potus intra corpus assumptus insignem cum humoribus corporis acrimoniam communicare, quæ & Dysenteria & Tabis existere causa potest.

§ IX. Sed omnium miserrima est incolarum R. Angolæ conditio, gentis in Æthiopia inferiori, quæ plane peculiari torquetur affectu, Boasi ab ipsis appellato. (u.) Corruptionem putredinosam totius corporis vivi experiuntur; incipit autem hæc a naribus, digitis manuum pedumque, ac tandem totum inficit corpus cum doloribus ac cruciatibus horrendis atque foetore intolerabili. Causam hujus morbi incolæ adferunt esui bestia Goulungo, sed superstitiose satis; Hoc enim animal omni venenata qualitate carere asseritur ab autoribus, & nihil aliud esse dicitur, quam Capricervæ species. Rectius itaque judicamus, esse hunc affectum Luis Venereæ speciem, quam immodico atque brutali Veneris usu miseri isti sibi conciliant.

§ X. Insulas Africæ quod attinet, habent & hæ ipsæ diversos affectus, quos Medicus Pathologus sub censuram vocare potest. Et in Insula D. Thomæ quidem, quæ circa Guineam sita est, vulgaris est morbus, qui in corporibus humanis omnem
pin-

(t.) Dapp. Africa, p. 462.

(u.) Id. p. 579.

pinguedinem liquefactam in unum locum congerit. Ita quidem describitur a *Gölnitzio*. (x.) Sed putamus sub obscura hac descriptione intelligendam esse Tabis speciem, quæ, cum aër & solum hujus insulæ maxime sint insalubres, incolis fortassis etiam erit familiaris. Præterea enim & febres pestilenciales, quæ trium vel quatuor dierum spatio jugulant homines, ut & Lues Venerea, inibi valde grassantur. Tribus gradibus ultra Æquatorrem versus meridiem est insula Annobon a Portugallis occupata, quæ venenosis animalibus atque insectis adeo quidem scatet, ut & incolæ inibi deficient, &, exceptis oris maritimis, pene tota sit deserta. (y.)

§. XI. Et tantum etiam de Pathologia. Videamus jam, quid eadem Africa habeat, unde Materia Medica incrementum capere queat. Ægyptum quidem si visitamus, occurrunt in hac nobilissima regione non pauca, quæ nobis ut remedia a longo tempore consueta sunt. Circa Cairum ingens est proventus Cassiæ fistulæ, quæ fructus est siliquosus arboris Ægyptiis Chaiarxanbar vocatæ, quæ florem habet papilionaceum, gratissimo odore; fructus autem ipse est cylindræus, sub cortice tenui multam & dulcem pulpam includens. Et hæc Cassia quidem, quæ circa Cairum & Alexandriam colligitur, omnium est optima, & longe præferenda illi, quæ ex Damiatæ affertur. Dolendum autem, raro eandem ad nos afferri recentem. Illa enim, quæ an-nosa est, pulpam potius acescentem quam dulcem continet, & illas virtutes minime præstat, quas Ægyptii ab eadem experiuntur. (z.) Mentio hic etiam faciendæ seminis notissimi Abelmosch, quod ex planta quadam ab Ægyptiis Mosch vocata, circa Cairum copiose crescente, colligitur. Plantam autem illam Staphisagriæ non esse dissimilem affirmant autores, cujus iconem suppeditat *Dapperus*. (a.) Nec prætereundus hic succus Aciæ inspissatus, qui si genuinus, itidem ex Ægypto nobis mit-titur.

(x.) *Geogr.* p. 346.

(y.) *Gölnitz* l. c.

(z.) *Pr. Alpinus de Pl. Ægypti*, p. 2.

(a.) *Afr.* p. 82.

titur. Ibidem enim largus ejusdem est proventus ex arboribus ab Ægyptiis Kakia vocatis, quarum ingens est numerus in Locis montosis circa mare rubrum. Ex eadem hac arbore colligitur etiam verum ac genuinum Gummi Arabicum, prout testatur & probat *Alpinus*. (b.) Non incongruum autem erit mentionem hic etiam facere plantæ Kali, Botanicis juxta & Chymicis notissimæ, quæ copiose nascitur circa Alexandriam, facie Anthyllidis, indeque cineres ejus evehuntur à mercatoribus Venetias usque, ubi eorundem ope, purissimum & optimum paratur vitrum. (c.) Ad imitationem horum cinerum, omnia salia ex cineribus plantarum parata appellantur Alcalina. Quodin transitu monere voluimus, ut certius nobis constet de communissimæ hujus vocis origine.

§. XII. Sed inquirendum ulterius, quid suppeditent reliquæ Africæ continentis partes. In Nigritarum itaque regione & specialissime in R. Congo considerari meretur, quod ex eadem maximi & præstantissimi afferantur Elephantum dentes, sub Eboris nomine in Materia Medica satis celebres, exinde autem a Portugalorum mercatoribus unà cum magna quantitate Cerae exportantur. In his enim regionibus tanta est apum copia, ut hinc inde mel in arboribus, & in tectis Nigrorum reperiatur depositum, absque accuratiori culturâ incolarum, qui saltem in colligendo eodem sunt occupati. Confinis Æthiopia superior sive Abyssinia in tractu isto, qui Mozambique vocatur, alit in fluviis & lacubus majoribus amphibium illud animal, quod Hippopotamus vocatur, (d.) cujus dens inde ad nos in sufficienti copia affertur, & Medicis in frequentissimo jam est usu, ut antispasmodicum & resolvens potentissimum. In eadem Abyssinia copiose nascitur arbor, quæ nobilissimam illam lacrymam resinofam Myrrham stillat, indeque nobis per mercatores Portugalorum mittitur. Extremus Africæ tractus, qui Caput Bonæ spei appellatur, quanta fertilitate & felicitate gaudeat in producendis & fovendis aromatibus ac Vegetabilibus fere omnibus, quæ ex utrisque Indiis eo transferuntur, ex Itinerariis

(b.) *de Pl. Ægypti*, p. 5.

(c.) *Dapp. Afr.* p. 72.

(d.) *Hoffmanni Clav. in Schræder.* p. 699.

nerariis constat abunde. Sed cum nihil habeat, quod, ut proprium ipsi transmittat nostræ Materiæ Medicæ, plura de ejusdem Vegetabilibus vel animalibus afferre judicamus superfluum.

§. XIII. Convertimus nos potius ad Insulas Africae, inter quas primo loco ponimus Canarienses, quæ a longo jam tempore, ob optimi & candidissimi Sacchari proventum satis Europæis innotuerunt. Non minus hoc nomine celebris D. Thomæ insula, sub ipsa linea sita, sed saccharum quod affertur ex hac insula, colore est obscurius & ignobilius Canariensi. Circa insulam Madagascar autem & insulam S. Mauritii, in mari Indico, pretiosissimum inter omnia simplicia colligitur, Ambra nimirum. Quæ in mari quidem coalescit, & interdum a ventis in littora ejicitur. Præstantior autem adhuc est Ambra illa, quæ circa littora Maris Æthiopici colligitur. (e.) Præterea commemorata insula Madagascar aromatum præstantissimorum est feracissima, ex quibus Cardamomum majus & minus navibus Gallorum copiose in Europam defertur.

§. XIV. Post lustratam sic Africae Materiam Medicam, videndum nobis etiam, quale Praxis Medica ex cognitione Africae sumat incrementum. Hoc omnium fiet optime, si examinabimus, quomodo hæc vel illa gens suis medeatur affectibus. In Ægypto quidem ad hunc usque diem feliciter quam in reliquis Africae regionibus exerceri Praxin Medicam, testatur inter alios *Pr. Alpinus in tractatu de Medicina Ægyptiorum*. Instar omnium sint nobis exempla quædam ab ipso suppeditata, felicitis remedium applicationis in commemoratis supra affectibus Ægypti endemiis. Hebetudinem itaque oculorum & lippitudines curant sibi feliciter applicando sæpius aquam rosaceam algidam vel Niloticam ipsam, quæ admodum in hoc casu salubris ab iisdem æstimatur. Non minus apte sibi curant Elephantiasin, assumendo carnes Viperarum decoctas, quarum in Ægypto non parva est quantitas; præterea autem & adhibent in tali casu pulpam Cassiæ fistulæ,

D

pro

(e.) Hoffmanni Clavis in Schr. p. 378.

pro expurgandis e corpore lentis & pravis humoribus cum materia acri commixtis. Externe maxime salutarem experiuntur Opobalsami usum, quod ipsis ex Arabia copiose affertur. Fœminæ autem, quæ viris placere desiderant, adhibent idem Opobalsamum, ut excellentissimum Cosmeticum, inungendo illud in balneis, iteratis sæpissime vicibus, quibus cutem reddunt nitidissimam. Variolas certo tempore inter ipsos maxime sævientes & periculosas nullo alio felicius curant medicamento, quam aqua destillata ex floribus Kalep, quæ expellendi & alexipharmacam vim habet, sine violentia tamen, egregiam. (f.)

§. XV. Barbariæ incolæ, qui strumis, renum calculo atque vesicæ maxime infestantur, non inconvenienter medicamentum sibi quærunt in Jacobæa marina, in ejusdem regionis tractu maritimo copiose proveniente, cujus pulverem contra prædictos affectus felici successu adhibent. Habet enim vim aperiendi insignem, & simul potens est educendi materiam tartaream e renibus, per lotium. Imperitiores in Arte Medica Nigritæ, nullum in morbis fugandis habent præsidium, nisi excipere velis remedium illud casu potius, quam arte inventum, quo a muscarum venenatarum ictu se defendunt, inungendo corpus Oleo palmarum cum pinguedine tygridum commixto, qua foetida fatis mixtura bestiolas has sanguinem sitientes feliciter arcere a nudis suis corporibus valent. (g.) Melius sibi consulunt fortassis Æthiopiæ inferioris incolæ in R. Ansicko, qui febres hyeme ibi frequentissimas fugare norunt, dum totum corpus pulvere Santali rubri cum Oleo dactylorum mixto illinunt, & postmodum cuti ad dolorem usque affricant, quo facto in febribus inordinate motos divertunt, & avocando eosdem ad exteriora, ideam morbificam in iisdem extinguunt. In febribus ardentibus autem Abyssini non inconvenienter assumunt Tamarindorum fructus acidulos, quibus sitim fallunt, & æstum intensiorem mitigant, simulque al-

vum

(f.) Vid. Pr. Alpinus de Medic. Egypt.

(g.) Vid. Dapp. Afr. in Reg. Nigrit.

alvum servant apertam. Sed, quod mirum est, maxime feri inter Africae populos haecenus commemoratos Caffares vel Hottentotti, prout a Batavis appellantur, in cognitione simplicium & Chirurgia, ad invidiam usque Chirurgorum Batavorum, excellunt. Habent enim accuratam cognitionem plantarum domesticarum, easdemque in morfu venenatorum animalium, vulneribus atque ulceribus optimo cum successu applicare norunt, quo de evidentissima exempla suppeditat *Tavernier*. (b.) Nullo autem artificio singulari ex dictis plantis parant emplastra vel unguenta, sed inter duos silices saltem easdem conquassant, & postmodum massam istam pultaceam vulnere vel ulcere applicant. Et haec pauca sufficiant etiam, ad probandum usum Historiae Natur. Exoticæ in Medicina, quoad hanc Orbis partem Africam.

CAP. III.

DE AMERICA.

§. I.

IN novum Orbem jam curiositate nostra delati, nova etiam atque incognita priscis temporibus inveniemus non pauca, quæ uberrimam suppeditabunt occasionem Medico locupletandi scientiam Physiologicam, Pathologicam, suppellectilem Materiae Medicæ, & Practicorum experimentorum apparatusum.

§. II. De Physiologicis solliciti annotamus primo in genere, Septentrionalis Americae provincias moratiores habere incolas, quam regiones Americae Meridionalis, si paucissimos excipias in dicta Septentrionali parte, qui a Gallis appellantur *Iroquois* & *Illinois*, accolas maris glacialis inter Mexico & Jappon, a Patre quodam Franciscano *Hennepin* nominato, novissime de-

(b.) L. 3. p. 208.

scriptos. (i.) De cætero, ut specialia etiam attingamus, affirmant Angli, in Virginia reperiri homines, capite longiores & proceriores omnibus Europæis. Occupant iidem regionem illam, quæ circa fluvium Bolam est, septentrionalem, nivibus & frigore satis horridam. (k.) Dubitare igitur amplius non erit integrum de existentia gigantum, siquidem & insuper circa fretum Magellanicum inveniuntur populi, Patagones dicti, qui eadem proceritate ab autoribus celebrantur. (l.) De Mexicanis annotandum, esse satis eosdem moratos, & ingenio alias omnes superare Americæ gentes. In imitandis subtilissimis etiam Europæorum artificiiis felicissimi sunt. In loquela autem habent plane peculiare iidem, & differunt eo ipso ab Americanis omnibus, prout Chineses ab Asiaticis. Hæc enim fere tota formatur impulsu linguæ ad dentes atque palatum; inde concursus consonantium in ipsa frequentissimus, præsertim autem literarum T. & L. e. g. in vocabulis *Quahuil*, arbor, *Patli*, medicina, *Peyetl*, radix, *Xochitl*, flos, &c. inde Hispani queruntur, nunquam se linguam hanc ad genium incolarum addiscere posse, duriori huic loquendi modo minime assueti. (m.)

§. III. In America Meridionali omnium primo memorandi, nefandum hominum genus, Anthropophagi, quorum crudelissimi sunt in Brasilia *Tapuya* & *Waygama* appellati, quippe qui in proprium sæviunt sanguinem, siquidem & infantes ipsorum ab eorum crudelitate non immunes sunt. (n.) Quidam ex his, & speciatim, qui circa fluvium Wiapaco habitant signati à natura sunt longissimis auribus, si fides habenda relationi de Mr. de Harcourt. (o.) Brasiliiani autem isti, qui Daboyi appel-

(i.) *Relation d'un Pays plus grand que l'Europe de Mr. Hennepin.*

(k.) *Vid. Ziegleri America P. 13. p. 19.*

(l.) *Ibid. P. 1. p. 27.*

(m.) *Becmannus, Hist. Orb. Terr. Geogr. & Civ.*

(n.) *Vid. Moquet, l. c.*

(o.) *Ziegl. Amer. P. XIII. p. 55.*

pellantur, monstrosa habent & compressa nimis capita, quæ infan-
tibus suis recens editis pro lubitu compressione satis violenta for-
mant. Eadem crudeliter agunt cum uxoribus suis in facilitando ea-
rundem partu. Si enim ille retardetur præter solitum, calcitrando
abdomen miserarum pedibus, accelerare eundem solent. (p.)
De cætero barbara hæc gens peculiare a natura habet beneficium,
quod plerique ex illa diutissime sub undis durare queant, quod illis
præsertim proprium est, qui circa fluvium S. Francisci habitant,
de quibus videri potest *Moque* (q.) Idem autor observavit, pecu-
liarem esse circa fluv. Amazonum tractum a foeminis saltem
habitatum, a quibus etiam fluvius iste nomen accepit. Sunt e-
nim in eo Amazonibus Asiæ, si quæ modo unquam fuerunt,
pares, quod propriam constituent Rempublicam, & viros
inter se non tolerant, cum quibus una saltem vice per annum
congregiantur, de conservatione speciei sollicitæ, & si post-
modum edunt puerum, restitunt eundem vicinis viris, puel-
las autem sibi servant, & in barbara sua defendendi & bellandi
arte instruunt. De incolis R. Peru tandem annotatum ab autori-
bus invenimus, velocissimo eosdem pollere cursu, quem continuare
etiam valent ascendendo maxime acclives montes absque insigni
molestia, id quod omnes, quibus contigit videre hos populos, in
admirationem rapuit singularem. De inconsueta autem accola-
rum freti Magellanici proceritate, cum jam supra facta fuerit men-
tio, plura afferre supersedemus.

§. IV. Jam ad Americæ Pathologica potius; ubi observa-
mus, non minorem esse morborum Endemiorum quantitatem,
quam in aliis Orbis Terrarum partibus. Meridionalis tamen plu-
res habet, quam Septentrionalis pars morbos. Siquidem plerique
incolarum Virginie, Floridae, Canadae, atque præsertim illi, qui
ad mare glaciale habitant, a morbis sunt immunes, assueti simpli-
cissimo victui carnis ferinae, ac motui corporis frequentiori. Ex-
ercent enim fere quotidie corpora venando, hoc ipso sibi victum

(p.) Vid. M. Hemmersam Reisebeschr. p. 107.

(q.) l. c.

quærentes. (r.) De Mexicanis autem observandum, esse apud eosdem Pleuritidem frequentissimum morbum, præsertim tempore hyemali, durante mense Decembri, Januario atque Februario, ubi parcissimæ observantur pluviae; aer autem inde valde est pulverulentus, corpora admodum desiccans, quæ omnia morbo huic a stagnatione orto causam suppeditare possunt sufficientissimam. (s)

§. V. Americæ Meridionalis morbos examinaturis primum occurrit Lues Venerea, quam ex America ab Hispanis militibus cum Christophoro Columbo ex eadem redeuntibus, Anno 1493. & - 94. in Europam primum translata fuisse, constat. Enatum autem est execrandum hoc morbi genus procul dubio ab initio inter gentes ejusmodi brutales, quales e. g. sunt Tapuyæ & Waygamæ Brasiliensium, ex lascivia inexplebili, juvante aromatibus inibi crescentium immoderato usu, & carniū humanarum semiputridarum esu plusquam brutali. Quæ allegatæ causæ, tam collective, quam disjunctive sumptæ, ad producendum turpissimum hunc affectum erunt sufficientissimæ. (t.) Commemorandus hic etiam frequentissimus Brasiliæ incolis affectus, Spasmus totius, qui dicto citius interdum invadit incolas, & tanquam rigidas statuas, nunc Opisthotoni, nunc Tetani instar tenet. Accidit autem ut plurimum, si non solite satis contexerunt noctu corpora stragulis. Aer enim nocturnus in hac regione admodum est frigidus, ut Ceylanensium Asiæ, qui Brasiliensium fere Antipodes sunt; quapropter, ut defendant se ab eodem, alunt in tuguriis suis focum perpetuum, ejusque beneficio nocturnum frigus tolerare, & venenata insecta simul arcere valent. (u.) Mentio hic etiam facienda de accolis fluvii Oronoque, qui serpentibus & viperis pro victu utuntur frequentius, inde autem Tabem totius corporis

(r.) Vid. Beschreibung Lovisiana de Mr. Hennepin.

(s.) Gottfrieds, Hist. Antip. P. III. p. 608.

(t.) Vid. de his plur. Gabr. Fallop. de Morb. Gall. c. 1.

(u.) Varenus Geogr. Gener. p. 351.

poris patiuntur fere omnes. (x.) Neque prætereundum, in maritima regione Chili, peculiatisimum occurrere affectum, quo digiti manuum pedumque computrescunt, cujus causam adscribunt incolæ & autotes itinerariorum; peculiari vento ex mari assurgenti, quem etiam expertos fuisse Hispanos Almagri milites legimus. (y.)

§. VI. Sed jam ad usum, quem Americæ Historia Naturalis nobis in Materia Medica suppeditat. Ille autem est plane egregius, si consideremus, simplicium nostrorum numerum ingens sumpsisse incrementum ex detectione Novi Orbis ab Hispanis feliciter suscepta. Et quod primum attinet Americam Septentrionalem, Virginia, pars ejus, à Castoreo satis est celebris. Ibi enim castores insigni quantitate capiuntur, eorundemque Castoreum per mercatores Anglos in Europam ingenti copia adfertur.

(z.) Generosissimum etiam est remedium, quod ex eadem Virginia novissime saltem impetravimus, Serpentaria nimirum Virginiana, radix ob singulares virtutes in Quartanarum cura, & insuper alexipharmacas ab Anglis mirum quantum commendata, quam accuratius descriptam nobis dedit P. Boccone in Museo Plantarum rariorum. (a.) Nomen & originem etiam debet eidem Virginiae & Floridae fumosa illa & famosa satis Herba Nicotiana, cujus semen Franciscus Draeck Argonauta famigeratissimus anno 1560. primum intulit in Europam, fumandi consuetudinem autem D. Waltherus Kaleghe, eodem fere tempore, quorum Panegyricos scribant illi, qui pro Sana Sancta panacea eandem cum Hispanis & pro Regia herba cum Gallis venditant. Gratulentur interim sibi Johannis Nicotii posteris, quod eadem a nomine ipsorum appelletur. Johannes Nicotius enim Regis Galliarum in Lusitaniam Legatus, primum eandem Ulyssipona Parisios Reginae misit, unde postmodum in Gallia herba
Legati

(x.) J. Moquet. p. 38.

(y.) Ziegleri Amer. p. 56.

(z.) Vid. Happelius Cosmogr. P. III. L. 22. c. 9.

(a.) p. 153.

Legati & Reginae audivit. Sed ad nobiliora potius, quorum ingentem apparatus nobis suppeditat Mexico, ab Hispanis in gloriam nationis suae Nova Hispania appellata. Initium faciat Cacao & Vaynilla fructus ingredientes compositionem notissimae Chocolatae, cujus in potu usus ab Hispanis in Europam introductus est. Agnoscunt autem hi fructus natale solum Mexicanum agrum, praecipue autem provincias *Guatimalam* & *Nicarguam*, in quarum locis irriguis arbores Cacaviferae luxuriant, quarum descriptio ut & Vaynillae crescendi modus & planta videatur apud *Fr. Hernandez* (b.) Ex eadem Mexico mittitur nobis vera Cochenilia, quae nihil aliud est quam vermiculi in *Opuntia* Americana nidulantes, succo sanguineo coloris plusquam coccinei turgidi. (c.) Item Jalappa & Mechoacanna, radices *Convolvuli* cujusdam, quarum haec alba, illa obscurior est. In viribus autem eatenus differunt, quod Mechoacanna purgans sit mitius, Jalappa autem, resina magis turgens, inter generosiora cathartica numeranda. Nec Lignum Guayacum & Sanctum praetereundum, quorum egregius est usus in curanda Lue Venerea; erat enim justum, ut mitteret in solatium Americae Europaeis remedium, quos detestabili hoc affectu primum infecerat. Provenit prius satis copiose in insula Sinus Mexicani Cuba; & arboris est nuciferae; posterius autem, quod a nonnullis judicatur etiam esse praestantius, desumitur ex arbore baccifera, in insula S. Johannis crescente. Sed Balsama insuper & Resinas habet eadem Mexico excellentissimas, inter quas eminent Liquidambra, Tacamahaca, Caranna & Gummi Copal. Liquidambra quidem stillat, ex fauciatu cortice arboris folio hederæ, quae in calidioribus Mexico locis copiose crescit, Tacamahaca autem & Caranna ex cognominibus resinae arboribus eodem modo colliguntur, prout etiam gummi Copal, ad Vernicem Laccae maxime expetitur, in eadem hac regione ex arbore, Lentisco nostrae simili, colligitur. In Isthmo illo, qui Septentrionalem Americam cum Meridionali con-

(b.) p. 78. in *Thesauro Ind. Occ.*

(c.) *Fr. Hernandez l.c.*

connectit, maxime notatu digna est urbs Tolu, Provinciae Cartagenae, (d.) quia circa illam colligitur praestantissimus Balsamus a loco natali Toletanus appellatus.

§ VII. Progrediamur nunc ulterius in Provincias Americae Meridionalis, in qua primum memoranda Peru, ad mare del Zur sita, ab inexhausto auri proventu, quem montis Potosi suppeditant cavernae, per totum Orbem celeberrima. Eadem Peru satis inclaruit haecenus Medicis, qui gratulantur sibi de excellentissimo & omnium praestantissimo vulnerario, balsamo nimirum Peruviano, quod colligitur ex arbore incolis Catureiba vocata, in remotissimis Peru desertis, trans immensa illa montium juga nascente, ex qua, fauciato cortice, mense Februario & Martio solenniter exstillat. In Peru etiam & quidem in *Regno Quitensi* natale solum est famosissimi febrifugi Quinquinae, ita enim rectius vocatur quam China Chinæ, ob errorem evitandum, siquidem in China Asiae ne vestigium quidem ejusdem occurrit. Est autem Quinquina ista cortex arboris Peruvianae Ganaperidis, quae sine omni crescendi impedimento, cortice spoliatur quotannis, uti observavit *Antonius Bollus* mercator, qui multos annos in Peru commoratus est, & Historiam arboris Italico idiomate conscriptam evulgavit. Gloriatur eadem Peru de insigni proventu Radicis Sarsaparillae, cujus non ignobilior usus est in Lue Venerea curanda, quam ipsius L. Guayaci, neque hoc latet incolas, qui hoc vel aliis affectibus scorbuticis infestati, hauriunt avide aquas, quae radices herbae Sarsaparillae alluunt, quo de videatur *Acosta*. (e.) Visitanda jam etiam Brasilia, quae a Ligno Brasileensi, Tabaco ac saccharo nobis a longo jam tempore innotuit. Praestantissima autem ejusdem simplicia sunt: Lignum Sassafras, Balsamus Copayva & Resina Arime. Et lignum Sassafras quidem in vastissimis Brasiliae saltibus copiose reperitur. Arbor ejusdem ab incolis vocatur *Anbuiba*, cujus duae sunt species, altera folio ficulneo, altera vero crenato, quae debilior est. (f.) Re-

E sina

(d.) *Abr. Gölnitz, Geogr. p. 355.*

(e.) *Acosta in Hist. Amer. L. 4. c. 29.*

(f.) *Piso H. N. & M, L. 4. c. 18.*

Resina Anîme in Brasiliæ tractu, qui Parayba appellatur, abundanter invenitur. Notandum autem, quod eadē sub arboris trunco in terra effossa ab incolis extrahatur, in quam decidit per meatus corticis interiores destillans, (g.) De balsamo Copayva tandem adjiciendum, reperiri arborem ejus frequentissime in insula Brasiliæ Maragnan vel Maranhon, e regione Tapuyarum tractui sita, ubi valde luxuriat, balsamum autem destillat ex inciso ad medullam arboris usque cortice, indeque collectum ab Hispanis ad nos defertur. (b.) Sed novissimum, quod nobis suppeditavit Brasilia in Materia Medica, est Radix *Ipecuanba*, novum istud Antidysentericum Gallorum. Nascitur autem hac radix potissimum in illo Brasiliæ tractu, qui Rio de Genecyro vel Janeiro est vicinus, ubi in densioribus reperitur nemoribus; Loca enim opaca multum amat, quo de vide Pisonem. (i.) Ex Brasilia primum in Hispaniam, & ex hac per mercatorem Gallum *Grenier* appellatum inter alias merces Lutetiam allatum est. Ubi per juniorem quendam Doctorem Medicinæ Helvetium, natione Germanum, vires ejus in Dysenteria primum expertæ sunt in nosocomio publico à l' *Hôtel de Dieu*; uti pluribus legi potest in G. G. L. *Relatione de Novo Antidysenterico Amer.* Demum in extremo Americæ angulo observandum habemus originem nobilis cujusdam remedii Antiscorbutici, Corticis nimirum Winteriani, qui nomen sortitus est à *Guilielmo Wintero*, navis præfecto. Collectum enim ad fretum Magellanicum corticem in Angliam primum transtulit, unde etiam a quibusdam a loco natali Cortex appellatur Magellanicus. Desumptus autem est ex arbore *Laurifolia Magellanica*, quæ a Clusio describitur. (k.)

§. VIII. Pauca adhuc de Praxi Medica Americanorum adjicienda sunt. In septentrionalibus quidem partibus, quæ Floridam atque Virginiam comprehendunt, nihil peculiare in hac obser-

(g.) *Piso L. 4. c. 9.*

(b.) *Id. L. 4. c. 4.*

(i.) *l. c.*

(k.) *Lib. Exoticor.*

observandum reperiemus, nisi quis annotare velit, Floridanos curare sibi febres ardentes ut plurimum sanguinis missione saltem, quam acuta concha, lancettae loco, administrant, ut habet Mr. *Laudoniere*. (l.) Virginiani autem habent peculiarem terram sigillatam, quam *Wagreyh* appellant, & hac ipsa vulnera & ulcera fere omnia sibi consolidare norunt. Præstantiores autem in Praxi Medica putantur esse Mexicani, uti hinc inde testatur *Hernandez*, qui ab iisdem edoctus, plurimorum simplicium virtutes nobiscum communicavit, exempli loco sit *Mechoacanna* alba & nigra, & folia *Peti*. Iidem vero in febribus ardentibus refugiunt imprimis ad remedium quoddam evaporiston, ex aqua fontana, paucis saccharo & succo limonum acerrimorum ad consistentiam mellis inspissatum. (m.) Contra quartanas in frequentissimo ipsis usu est Cortex *Memeya*, Tithymali species, adeo felici successu, ut ægrotus statim post usum ejusdem reddatur incolumis. (n.) Habent aliud Tithymali genus *Tetzcoquenses*, quod instar summi arcani habent in cura Luis Venereæ. Eandem sibi curant etiam radicitus herba *Palancapatli*, licet totum corpus jam ab eadem ulcusculis atque tuberculis scateat. Reliqua Americanorum cura, cum tota fere in ridiculis ceremoniis & superstitionis fumigationibus consistat, hujus non est loci. Et tantum etiam de Historiæ Naturalis Americanæ usu in Medicina. L. B. ignoscet, spero, si non accurate in hac Tractatione desideriiis ejus satisfactum est. Neque enim hoc a Medicæ Artis tyrone erat expectandum.

F I N I S.

S. D. G.

(l.) *Ziegl. Amer. P. 13. p. 55.*

(m.) *Piso L. 2. c. 4.*

(n.) *Hernandez p. 172.*

QH Tu 633

Ad Præclarissimum

DN. PRÆSIDEM:

Suffocasset jam dudum Gratosissimum Medicorum Ordinem longe major turba illiberalium undique concurrens, nisi certæ quædam regulæ tanquam fundamentales, Patrum præcepta scilicet, sancte custodita strenueque defensa semper fuissent a genuinis Artis filiis. Hoc nomine celebres quondam erant familia Hippocratis, Podalirii, Machaonis, Æsculapii, & quotquot originem ducebant ab Apolline. Nec desunt his diebus, qui paternum avitumque studium recolunt tanto diligentius, quanto feliciores progressus sibi promittere possunt, dum leviore negotio thesaurum hereditate partum locupletare licet. Inter eos merito mihi memorandus es, Nobilissime Erndl / utpote cujus assiduitas & eruditio haud vulgaris nisi alias mihi abunde constaret, saltim hoc unico specimine, probaretur sufficienter, quod ex Naturali Medicaque Historia desumptum, politioem spirat doctrinam, ac majora de Te sperare jubet in posterum. Vab! quid miserius est Medico, Philosophiæ ac elegantioris literaturæ ignaro? Te vero vestigia Genitoris Tui, Archiatri Famigeratissimi, legere laudabiliter, atque plus ultra eniti, quotusquisque non cernit? Quantam ego exinde voluptatem percipiam, vix satis effari valeo, incrementum Artis nostræ certissimum prævidens. Fortassis proxime fiet, ut de honoribus supremis, quos dudum meritus es, Tibi gratulari queam. Interim bene vale!

D. Augustus Quirinus Rivinus,
p. t. Rector.



1077

Pom Thu 633,0h

ULB Halle

3

003 132 420





56.
D
02072
USU
NATU
CO-C

Inclytis si

Ad c

CHRIST

DANI

Ty

RIAÆ
KOTI.
CÆ

sophicæ

CC.


RICUS

fsâ-Luf.

INII.

II u
633

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



KODAK Color Control Patches

